

conc. *min.* Aliter, nego. Nempe, simul cum bonitate creata amat Deus in quolibet actu bonitatem divinam, quam illa imitatur, et inde omnes affectus divinae voluntatis sunt infinitae et aequalis perfectionis, cum non quiescant unice et adaequate in finito aliquo bono.

Objic. 2.<sup>o</sup> Objectum motivum est primum objectum. Sed repugnat bonum creatum esse primum Dei objectum: ergo non potest Deum movere. Resp. dist. *maj.* Est primum respectu objecti materialis; conc. *maj.* Respectu alterius objecti formalis; nego. Diximus enim, amare simul, ideoque et principaliter, propter suam summam bonitatem.

256. Objic. 3.<sup>o</sup> D. Thomas (supra, cit. loc.) ait, solam divinam bonitatem esse objectum motivum divinae voluntatis: ergo bonitate creata non movetur.

Resp. 1.<sup>o</sup> Certe, ut diximus, ibi favet sententiae oppositae: unde sequitur, utramque opinionem fuisse sibi probabilem.

Resp. 2.<sup>o</sup> Objectum motivum, ex quo habet infinitam perfectionem, est sola divina bonitas; conc. In quod unice propter se terminetur: nego. Nam pari modo loquitur D. Angelicus, cum agit de objecto formali intellectus, scilicet esse divinam essentiam solam: tamen postea, alias veritates esse quoque intentionale motivum docet.

257. VI. Dividitur quoque Dei voluntas in *approbativam* et *permissivam*. Prima suum objectum approbat; altera vero vult non impedire terminum ab alia causa determinandum, non autem illum intendit vel approbat: hoc modo se habet divina voluntas erga mala moralia.

258. VII. Est etiam in Deo voluntas *intentiva*, seu finis; et *electiva*, seu mediorum: *Universa propter semet ipsum operatus est Dominus* (1). Finis intrinsecus *actuans* divinam voluntatem est ipsa bonitas seu essentia Dei, unde Augustinus (2) ait: «Ille a se ipso bonus est, non adhaerendo alteri bono.» Et D. Thom. (3): «Voluntas, cujus objectum principale est bonum, quod est extra volentem, oportet quod sit mota ab alio; sed objectum divinae voluntatis est bonitas sua, quae est ejus essentia.»

(1) Proverb. XVI, 4. — (2) Tract. in ps. 134. — (3) 1, p. q. 19, a. 1, ad 3.

## DISQUISITIO V.

### DE DEO TRINO IN PERSONIS

seu

#### Secundum Communicationem ad intra.

PROOEMIUM.

I. Sanctissimae Trinitatis mysterium Religionis christianae culmen est, centrum et fundamentum. Inter mysteria ergo fidei, omnes fatentur theologi, inhabitare mysterium hoc lucem inaccessibilem; qua de causa, in eo exponendo, Nazianzeni mandatum prae oculis habeamus: «Ducem potius fidem, quam rationem sequamur, si modo ingenii tui imbellicitatem in propinquiorebus didicisti, rationisque id esse cognovisti, ut, quatenus sint ea, quae rationis humanae captum excedant, cognoscas: ne alioqui terrenus sis, ipsam tuam ignorantiam ignorans (1).»

DIVISIO GENERALIS.

- CAPUT I. De pluralitate ac ordine divinarum Personarum et relationum.
- II. De divinitate et unitate divinarum Personarum.
  - III. De proprietatibus, originibus et notionibus divinarum Personarum.
  - IV. De singulis Personis particulariter.

CAPUT I.

#### De pluralitate et ordine divinarum personarum.

ARTICULUS I.

##### Pluralitas divinarum personarum.

THESIS I.

In divinis sunt Pater, Verbum seu Filius, et Spiritus S.; tres personae realiter distinctae.

(1) Orat. 2, theol. n. 28 (Migne).

2. Nota I.<sup>o</sup> Non intendimus naturam seu deitatem nunc ostendere trium Personarum, sed existentiam; quatenus, nempe, in Deo et cum Deo in munera quaedam plane divina concurrunt, excellenti quadam unitate.

II.<sup>o</sup> Praeter Judaeos, plures, a primis jam Ecclesiae temporibus, errarunt haeretici in hac fidei doctrina: inter primos refertur Praxeas, ejusque sectatores Praxeani dicti. Docebant ipsum Patrem passum fuisse et crucifixum. Postea secuti sunt Noëtus, Hermogenes et Tertulliani aetate, plures Montanistae, de quibus Hieronymus ad Marcellam (1): «Trinitatem in unius personae angustias agebant.» Post multos annos eundem suscitavit errorem Sabellius, qua de causa, ab illius nomine, vocata est haec haeresis Sabelliana: dicebat eundem esse Patrem, Filium et Sp. Sanctum, et ejusdem substantiae haec nomina significare officia. Dicti sunt etiam ejusmodi haeretici, Patripassiani, quia ipsum Patrem passum, mortuumque fuisse dictabant. Praeterea, eodem infectos errore Paulum Samosatenum, Faustum Manichaeum, Photinum, deinde Priscillianistas, et ex Protestantibus Servetum, aliosque, Bellarminus (2) cum aliis refert scriptoribus.

3. Pars I. Prob. 1.<sup>o</sup> Ex symbolis fidei, quibus credimus «in Patrem et Filium et Sp. Sanctum.» Damasus autem Pp. in Synodo Romana definivit. «Siquis non dixerit, omnia per Filium et Spiritum Sanctum, Patrem fecisse, id est, visibilia et invisibilia: A. S.» Item: «Si quis de Patre et Filio bene senserit, de Spiritu autem S. non recte habuerit; haeticus est: omnes haeretici de Filio Dei et Sp. Sancto male sentientes, in perfidia Judaeorum et Gentilium inveniuntur.»

2.<sup>o</sup> Dixit Dominus (3): *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti.* Ubi, eadem auctoritate et virtute, tres Personas mundum sanctificare docemur; ideoque ad eandem fidem, spem et charitatem erga illas obligamur.

Paulus autem (4): *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis: amen.*

Iterum apud Ev. Joannis (5): *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*

3.<sup>o</sup> Patres uno ore laudant tres Personas; sit in exemplum unus Ignatius M. (6): «Subjecti stote episcopo et vobis mutuo, ut Jesus Christus Patri secundum carnem, et Apostoli Christo et Patri et Spiritui Sancto.»

(1) Ep. 54. — (2) L. 2 de Christo, c. 1, et 2. — (3) Matth. XXVIII, 19. — (4) II Cor. XIII, 13. — (5) Jo. XV, 26. — (6) Epist. ad Magnesianos.

4. Pars II. prob. 1.<sup>o</sup> Damasus Pp. (ibid.): «Si quis tres Personas non dixerit veras Patris et Filii et Sp. Sancti, aequales, semper viventes, omnia continentis visibilia et invisibilia, omnia potentes, omnia judicantes... A. S.» Et in Symb. Athanasiano: «Unus ergo Pater... unus Filius... unus Spiritus Sanctus... Totae tres Personae coaeternae sibi sunt et coaequales.»

5. 2.<sup>o</sup> Ex SS. Literis esse Personas, id est, subsistentias rationales, est evidens.

a) Ex nominibus quibus appellantur; nempe, Deus Pater; Filius Dei Patris; Spiritus Paraclitus. Haec enim nomina sunt substantiae rationalis et subsistentis.

b) Ex officiis et muneribus. Quoad Patrem nullus dubitat. Filius autem est Mediator, Redemptor, Advocatus, Judex, etc. Vide: I Jo. II, 1; et I Timot. II, 5 et Tit. II, 14. Spiritus S. est Paraclitus seu consolator, Magister, Testis, etc. Vide Joan. XIV, 26 et c. XV, 26. Rom VIII, 16. Et I Joan. V, 7.

c) Ex operationibus (1): *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Deinde (2): *Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei... Ipse Spiritus postulat pro nobis... Iterum (3): Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

6. 3.<sup>o</sup> Tum ex officiis, tum ex actibus eorum constat, Patrem et Filium et Sp. Sanctum esse supposita intellectualia: ergo sunt personae. Ant. patet. Nam munera illa et actus actionem supponunt rationalem: sed actiones sunt suppositorum; actiones autem rationales postulant suppositum rationale: ergo tum ex officiis, tum ex actibus elucet, Patrem, Filium et Spiritum S. veras esse personas.

7. Pars III. prob. 1.<sup>o</sup> Eugenius IV, in Bulla *Cantate Domino*, docet: «Sancta Ecclesia Romana... firmiter credit et praedicat: unum Deum Patrem et Filium et Sp. Sanctum, trinum in Personis... Pater tantum est Pater, Filius tantum est Filius, Spiritus S. tantum Sp. Sanctus est... Hinc damnat Sabellium, personas confundentem et ipsarum distinctionem realem penitus auferentem.» Et in Symb. Athan. «Alia est persona Patris, alia Filii, alia Sp. Sancti.» Sed quae re sunt idem et sola ratione distinguuntur, nequeunt esse aliud et aliud suppositum, seu persona; ergo realiter distinguuntur.

8. 2.<sup>o</sup> Dixit Dominus (4): *Solus non sum: sed ego, et qui misit me, Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso; et*

(1) Jo. I, 18. — (2) Rom. VIII, 16, 26. — (3) I Cor. II, 10. — (4) Jo. VIII, 16-18.

*testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.* Deinde (1): *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis:* Item (2): *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos... Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt.*

Ex quibus sic argumentaberis: qui constituunt numerum, qui faciunt societatem, qui invicem per oppositas actiones se respiciunt; inter se realiter distinguuntur: atqui tres divinae Personae faciunt numerum, societatem, et relative opponuntur; ergo realiter distinguuntur.

9. Confirm. Suppone, tres illas personas unam esse realem tantum personam: ecce quam absurdum exhiberet sensum Scriptura (3): «Paraclitus autem Spiritus S., id est, *Pater*; quem mittet Pater, id est, *quem Patrem mittet Pater*; in nomine meo, id est, *in nomine Patris*; ille, id est, *Pater*; docebit vos omnia, quaecumque dixerit, id est, *ego Pater*, vobis.»

Pariter verba Apostoli (4) perpende: *Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Ad ejusmodi diversos personarum respectus substituas unam eandemque personam, et videbis quam impropria, falsa, absurdaque protulerit Apostolus:

«Quod si Pater Patris, qui suscitavit Patrem a mortuis, habitat in vobis: Pater, qui suscitavit Patrem, vivificabit corpora vestra propter inhabitantem Patrem Patris in vobis.» Quid potest stultius dici?

10. 3.<sup>o</sup> S. Irenaeus distinctionem realem clare docet (5): «Non ergo angeli fecerunt nos... Nec enim indigebat horum Deus ad faciendum, quae ipse apud se praedefiniverat fieri... Adest enim ei semper... Filius et Spiritus, per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur dicens: *faciamus hominem ad...*» Et Tertullianus ait (6): «Ita connexus Patris in Filio et Filii in Paraclito tres efficit cohaerentes, alterum ex altero.» Athanasius (7): «Illos autem, qui dicunt; eundem esse Patrem atque Filium vel Spiritum S... anathemate ferit sancta et catholica Ecclesia... Neque tamen, quia tres res et tres personas Patris et Filii et Sp. Sancti, secundum Scripturas, confitemur, ideo tres Deos facimus.»

(1) Jo. XIV, 16.—(2) Jo. XVI, 7, 14, 15.—(3) Jo. XIV, 26.—(4) Rom. VIII, 11.—(5) L. 4, *contr. haeres.*, c. 20.—(6) *Contr. Prax.* c. 25.—(7) L. *de Synod.* n. 2, et 4.

11. Objic. in II<sup>m</sup> partem. 1.<sup>o</sup> Verbum nequit esse persona, cum sit accidens ejus a quo profertur: item neque Spiritus, cum sit pars illius quem vivificat: ergo neque Verbum Dei, neque Spiritus esse possunt personae.

Resp. Nego *consequentiam* et paritatem: nam Verbo Dei et Spiritui Sancto non esse tribuendas imperfectiones illas, rationes expositae ostendunt. *Antecedens* autem de verbo et spiritu agit humano.

12. Objic. 2.<sup>o</sup> Nonnulli Patres, ut Tertullianus (1), Lactantius (2) etc. ajunt; Verbum Dei esse *prolatitium* seu exterius prolatum. Sed tale verbum nequit esse persona: ergo Verbum non est persona.

Resp. Dist. seu explico: esse *prolatitium* verbum, proprie; nego. Improperie et metaphorice: conc. Unde Praxeae objectanti; «quid est enim, dices, sermo, nisi vox et sonus oris?... At ego, reponit »Tertullianus, nihil dico de Deo inane et vacuum prodire »potuisse, ut non de inani et vacuo prolatum; nec carere substantia, quod de tanta substantia processit, et tantas substantias facit.» Lactantius autem neque putavit Verbum Dei quidquam esse univocum cum prolatitio verbo; sed quid ineffabile, longaque excellentius: «Ineffabilem, ait, quemdam, sanctumque sermonem, »cujus enarratio modum hominis excedit.»

13. Objic. 3.<sup>o</sup> Spiritus S. in SS. Litteris dicitur *pignus, diffundi, participari*, etc. Sed ejusmodi dignitati personae non congruunt: ergo Spiritus S. non est persona.

Resp. Dist. seu explico. Haec dicuntur de S. Spiritu, quatenus ex effectibus nominatur; conc. Quia talis sit substantialiter; nego. Sic Job aiebat: *Oculus fui caeco, pes claudus*: et Tobias filius a matre dicebatur, *Baculus senectutis nostrae*.

14. Objic. in 3<sup>m</sup> part. 1.<sup>o</sup> Vocatur Verbum *Sapientia Patris, ratio* (λόγος) Dei; et Sp. Sanctus, *digitus Dei*. Irenaeus ait, Verbum et Spiritum esse *munus* Dei: sed distinctio realis in his habere locum non potest, cum Deus simplex existat: ergo Personae non distinguuntur realiter.

Resp. Dist. *min.* Distinctio realis *essentialis* in his dari non potest in Deo; conc. *Personalis*; nego *min.*

Objic. 2. Deus non est compositus: ergo Spiritus Dei non distinguitur realiter a Deo. Resp. Dist. *conseq.* Si sermo sit de Spiritu vivificante seu informante; conc. vel potius, nego suppositum. Spiritus Dei, id est, tertia Persona, non distinguitur a Deo absolute; conc. *conseq.* A Deo ut Patre, et Filio, respective; nego *consequentiam*.

(1) In *Prax.* c. 5.—(2) L. 4. *Instit.* c. 8.

15. Objic. 3.<sup>o</sup> Nazianzenus (1) ait de essentia et nominibus Patris et Filii, «per cogitationes quasdam distinctas,» a nobis distingui: ergo censet non distingui realiter.

Resp. Ipse se purgavit Nazianzenus ab hac calumnia in Or. 49. Mens ergo illius fuit, 1.<sup>o</sup>: quod *ipsa essentia*, prout consideratur in tribus Personis, nullam participat distinctionem in se, nisi rationis. 2.<sup>o</sup> Quod licet possimus, cogitatione, *separare* unam personam ab alia, hoc re ipsa fieri non posse.

16. 4.<sup>o</sup> Objic. cum Sabellanis: *Ego et Pater unum sumus* (2); item: *Ego in Patre et Pater in me est*. Ergo Personae illae confunduntur. Resp. negando *consequentiam*. Ejusmodi sententiae ostendunt aliquam unitatem. ut postea dicemus; non autem unitatem *in persona*. Ut enim Nazianzenus notabat (ibid.); «Nemo pro una persona potest, *unum sunt* dicere.» Cum ergo dicit Christus; *Sumus*, significat plures: cum ait: *Ego in Patre et Pater in me*; distinctionem et oppositionem mutuam aperte notat.

## ARTICULUS II.

## Divinarum Personarum processio.

## THESIS II.

In Divinis Personis sunt duae processiones reales, nec plures.

17. Nota: Concessa personarum divinarum distinctione, errarunt aliqui haeretici, ut Calvinus, Beza. etc. docentes, unamquamque a se esse id quod est, non vero ab alia accepisse: huic errori opponitur Thesis, quae fide constat.

Pars I prob. 1.<sup>o</sup> Damasus Pp. in Conc. Rom. Can. 11, decrevit: «Si quis non dixerit Filium natum de Patre, id est, de divina substantia ipsius: A. S.» Et can. 16. «Si quis non dixerit, Spiritum S. de Patre esse vere ac proprie, sicut Filius de divina substantia..... A. S.» Patet quoque ex Symb. Constant.

Et in Athanasiano Symb. «Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus: Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.»

2.<sup>o</sup> Dixit Dominus: *Ego ex Deo processi* (3). *Ego scio eum: quia ab ipso sum, et ipse me misit* (4). *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* (5).

(1) Orat. 3, theolog. n. 49.—(2) Jo. X, 30.—(3) Jo. VIII, 42.—(4) VII, 29.—(5) Jo. XV, 26.

18. 3.<sup>o</sup> Nazianzenus ait (Orat. 29): «Quid ergo, inquires, si Filius et Sp. Sanctus Patri coaeterni sunt, quid afferri potest, quin principii quoque, quemadmodum et ille, sint expertes? Quia ab ipso sunt, licet non post ipsum... Quod autem aeternum est, non protinus quoque principio vacat, quamdiu ad Patrem, velut ad principium et originem, refertur.» Similiter Athanasius tum Filio, tum Spiritui Sancto originem et processionem tribuit (1): «Proinde si Filius, propter suam proprietatem ad Patrem, et quod sit ejus substantiae foetus, non est creatura, sed Patri consubstantialis; sic nec Spiritus S. fuerit creatura: quia etiam qui hoc dicit impius est, ob proprietatem scilicet ejus ad Filium; et quia ex ipso datur omnibus, et quae habet Filii sunt.» Et inferius: «Ex non extantibus sunt res creatae, et initium habent existendi: nam *in principio fecit Deus coelum et terram*, et quae in illis sunt. At Spiritus Sanctus ex Deo est diciturque, ut ait Apostolus.» Deinde: «Rursum unctio et signaculum dicitur et est Spiritus S. Scribit enim Joannes, (I, c. II, 27): *Et vos unctionem...* Haec unctio flatus est Filii, ut qui habet Spiritum dicat: *Christi bonus odor sumus.*»

19. 4.<sup>o</sup> Ex his patet, Filii et Spiritus Sancti processiones non tantum distinctas, sed reales esse. Nam personae ipsae reales sunt et realiter distinguuntur, ut in Thesi praecedenti ostensum est: ergo si habent a Patre id quod sunt, realiter ab eo procedunt; talis enim est processio, quales sunt termini ejusdem. «Ita unus Deus, ait Athanasius (2), in Ecclesia praedicatur, qui est *super omnia, et per omnia, et in omnibus*. *Super omnia* quidem ut Pater, ut principium et fons: *per omnia* vero, nempe per Verbum: *in omnibus* denique, in Spiritu S. Porro Trinitas non nomine tenus et sola verborum specie est Trinitas, sed vere et reipsa existit Trinitas.» Sed non potest *vere* et *reipsa* esse Trinitas, et quidem ab uno principio et fonte, Patre, nisi distincta reipsa sit processio Verbi a processione Sp. Sancti. Ergo duae dantur in Deo reales processiones.

20. Objic. 1.<sup>o</sup> In Deo non est nisi *una* et infinita virtus: vel ergo producit Personas, ut est infinita, vel non; si primum dicatur, non erit nisi *una* et infinita Persona producta, ideoque una processio tantum: si autem secundum dicas, processiones erunt finitae, ideoque et personae procedentes, quae proinde vere divinae non sunt.

Resp. Dist. *maj.* Non est nisi *una* et infinita virtus, actu; conc.; virtute; nego. Est enim virtualiter duplex infinita virtus; per intellectionem et per amorem. Ad *min.* Concedo quamlibet processio-

(1) Ep. 3, ad Serap. nn. 1, 2, 3.—(2) Ep. 1, ad Serap.

nem esse ex infinita virtute; vel ut infinite intelligente, vel ut infinite amante.

Objic. 2.<sup>o</sup> Si vere procedunt ab alio duae Personae, sunt factae; ergo non nisi improprie divinae ac in Deo esse dicuntur.

Resp. dist. *Ant.* Si procedunt accipientes aliam essentiam; conc. Si procedunt in eadem essentia; nego *ant.* et *consequentiam.*

Objic. 3.<sup>o</sup> Saepe SS. Patres dicunt, Patrem et Filium esse unum principium. Sed nihil est principium sui ipsius: ergo Filius non procedit.

Resp. Dist. *maj.* Esse unum principium comparatione creaturarum, vel ad Spiritum S.; concedo *maj.* Absolute; nego.

Pars II probr.

21. Duas tantum esse in Deo reales processiones fides docet, et ex dictis elucet. Nam Pater a nullo procedit, ut ex Symbolo Athanasiano in Thesi patet. Deinde, cum ipse Pater sit principium Filii et Sp. Sancti, ab iis procedere nequit; cumque sit principium et fons simpliciter, ut ex Athanasio diximus in probatione 4.<sup>a</sup>, a nullo procedere potest. Neque cogitari potest quod sint duo Filii procedentes, vel duo Spiritus Sancti: quia, ut vidimus in Thesi I, unus est Filius, unus Spiritus Sanctus; et, ut credimus in Symb. *Athan.*: «Fides catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et »Trinitatem in unitate veneremur.» Lateranense IV. cap. *Damnamus*, dicit: «In Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas.»

22. Rationem suggerit S. Thomas. Processiones divinae sunt immanentes: In natura autem intellectuali duo sunt tantum actuum immanentium genera, scil. intellectus et voluntatis: ergo tantum in Deo invenitur processio immanens per intellectum, et alia per voluntatem. Sed terminus processionis immanentis, utpote divinus, debet adaequare et exhaurire suum principium: ergo una solum est processio per intellectum et altera per voluntatem. Quod ut clarius pateat; sit,

### THESIS III.

Processiones divinae sunt per intellectionem et volitionem, non autem per naturam, ut ab utraque per rationem distinguitur.

23. **Nota I.** Non intendimus, quod sola sufficiat intellectio et volitio, ut processiones seu Personarum productiones existant; nam nisi determinata interveniat Persona, non possunt perfici. Neque nunc inquirimus, an talis intellectio et volitio sit spectans proxime ad naturam divinam, vel è contra, sit alia actio proxime

et formaliter notionalis seu personalis; hoc enim alibi opportunius elucidabitur.

**Nota II.**<sup>o</sup> Thesis certa et fidei proxima habenda: consentiunt equidem omnes theologi, cum communi Patrum sensu, adversus Durandum, vel unum aut alterum Auctorem. Vide D. Thomam (1), Suarezium (2), et alios S. Thomae expositores, ut Cajetanum, Molinam, Valentiam, etc.

24. Prob. 1.<sup>o</sup> Concil. Tolet. XI, ab Innocent. Pp. ut authenticum laudatum, dixit in Symb. fidei: «Filius Dei natura est Filius, non adoptione, quem Pater nec voluntate genuisse »credendus est, quia nec voluntas sapientiam praeventit... Spiritus S... simul Patris et Filii Spiritus dicitur... quia charitas sive »sanctitas amborum agnoscitur.»

2.<sup>o</sup> Filium, in SS. Literis, ad intellectum spectare divinum docetur: appellatur enim Verbum (3) passim. *In principio erat Verbum, λόγος...* Item (4): *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei.* Spiritus Sanctus autem dicitur charitas (5): *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

25. 3.<sup>o</sup> Augustinus (6) ait: «Ille ineffabilis quidam complexus Patris et Imaginis (Filii) non est sine perfruitione, sine charitate, sine gaudio. Illa ergo dilectio, delectatio, felicitas vel beatitudo, si tamen aliqua humana voce digne dicitur... est in Trinitate Sp. Sanctus; non genitus, sed Genitoris, Genitique suavitas.» Item S. Ambrosius (7), sive Auctor catholicus antiquissimus sub nomine illius: «Unus ergo diligens eum, qui de illo est; »et unus diligens eum, de quo est; et ipsa dilectio idem unus utrumque, id est, Spiritus Sanctus... Pater ergo, qui origo est Deitatis, recte et in Filio et in Sp. Sancto intelligitur: in Filio, velut »Verbo et Sapientia; in hoc autem, velut Spiritu ab ipso procedente.» Athenagoras (8) autem: «Mens, Verbum et Sapientia, Filius Patris; effluvium autem, ut lumen ab igne, Spiritus.»

Atqui praeter mentem, nihil aliud intelligitur in substantia spiritali, quod sub igne significari valeat, nisi amor seu voluntas. S. Prosper Aquit. (9): «Spiritus est Patris et Filii, tamquam charitas substantialis et consubstantialis illorum.»

26. 4.<sup>o</sup> Ex supra statutis, duae sunt in divinis processiones inter se dissimiles, quae ad Filium terminantur et ad Spiritum Sanctum: sed nulla eluceret hujusce diversitatis ratio, si non esset altera per intellectum, altera vero per voluntatem; ergo sic perficiuntur.

(1) P. I, q. 27.—(2) *De Trinit.* l. I, c. 5.—(3) Jo. I, 1.—(4) Apoc. XIX, 13.—(5) Rom. V, v. 5.—(6) *De Trinit.* l. 6, c. 10.—(7) *De Trin.* c. I, et II.—(8) *Apolo.* n. 24.—(9) *L. Sent.* 375.

*Min.* patet: nam in natura intellectuali, praecisus intelligendi et amandi rationibus, nulla elucet actionum seu productionum ad intra differentia.

27. Objic. 1.<sup>o</sup> Ambrosius (1) Filium vocat; «lumen de lumine, Verbum de Verbo.» Si ergo Ipse Pater est Verbum, non opus est ut Filius, quatenus Verbum, per intellectum procedat.

Resp. 1.<sup>o</sup> Non Ambrosii, sed alterius censetur antiqui Scriptoris, liber iste: verum quicumque fuerit Auctor ille:

Resp. 2.<sup>o</sup> Quod Pater Verbum non dicatur nisi improprie, et denominative, quatenus ab eo procedit Verbum; ex SS. Scripturis, et communi PP. usu sat apertum est.

Objic. 2.<sup>o</sup> A S. Basilio (2) vocatur Spiritus Sanctus Verbum Filii: ergo et procedit per intellectum. Respond. Vocatur proprie, ac vi processionis; nego. Improprie, et quadam ad Filium analogia; conc.

Objic. 3.<sup>o</sup> Spiritus Sanctus ex ore procedit Dei (ps. 32, 6): ergo et Verbum est divini intellectus. Resp. Dist. *ant.* Procedit ex ore ut verbum; nego. Ut halitus affectum significans; conc.

28. Objic. 4.<sup>o</sup> Actus intelligendi et volendi ad naturam ipsam pertinent, et sunt omnibus personis communes. Ergo ex illis nequeunt differre Personarum processiones.

Resp. Dist. *ant.* Actus intelligendi et volendi absolute, seu praecisa relatione fecunditatis; conc. *antec.* Relative perspecti; Subd. Ad naturam pertinent, ut subsistentem in persona apta ad producendum; conc. Ad naturam simpliciter; nego. *antec.*

Objic. 5.<sup>o</sup> Intellectus et voluntas in nobis simplici actuantur actione, quin ullum producant terminum: ergo idem in Deo existimandum. Confirm. Plures inter PP. ajunt, Patrem natura generare: ergo principium generationis non est intellectio.

Resp. 1.<sup>o</sup> Permisso *ant.* negatur *consequentia*. Si enim intellectus creatus ac voluntas fecunditate carent; non ideo sequitur et in Deo carere.

Resp. 2.<sup>o</sup> Negando *ant.* cum praeclarissimis philosophis.

Ad confirm. dicendum; Patres docent natura Deum generare, quatenus non libere, sed necessaria generat fecunditate; conc. Eo sensu, quod immediate per naturam, ut ratione distinctam ab intellectu, generet: nego *antecedens*.

29. Objic. 6.<sup>o</sup> Idem realiter sunt in Deo intellectus et voluntas; ergo persona procedens per intellectum, reapse procedit per voluntatem, et vice versa: ergo discrimen processionum et proprietates

(1) De *divinit. Filii Dei*, c. 5.—(2) Lib. *contra Eunom.*

personarum nequit ex eo desumi, quod altera sit per intellectum, altera per voluntatem.

Resp. Dist. *ant.* Intellectus et voluntas, ut potentiam significant, sunt realiter idem; conc. *ant.* Quatenus sunt actus; subd. Sunt realiter idem actu; conc. Virtute; nego. Scilicet inter actum intelligendi et amandi non est in Deo distinctio actualis realis, sed virtualis.

#### SCHOLION.

I. Ut praecedentes difficultates aliquatenus elucidentur, pauca adjicienda sunt.

30. Dico I. Inter illa attributa divina, quae actum prae se ferunt intellectus vel voluntatis, est actualis distinctio rationis, et virtualis distinctio realis (non actualis).

*Nota:* quid sit distinctio rationis supra diximus (1), quod utiliter quidem recoles. Distinctio autem virtualis sumitur nonnumquam pro aequivalentia unius rei ad res distinctas; ut videre licet apud Suarez (2); sic omnia, quae in creaturis divisa sunt, in Deo per modum unius virtualiter continentur. Simili sensu, distinctio realis virtualis significat capacitatem unius ejusdemque rei ad verificanda praedicata, quae aliter forent contradictoria; sive *intrinsicca*, id est, independentia omnino a nostris conceptibus, fuerint; ut, Deus se amat, quia cognoscit se; non se cognoscit, quia se amat: cum tamen amor et cognitio sint idem realis actus; sive *extrinsicca*; ex. gr. existentia Dei cognoscitur; essentia Dei (quae est idem cum existentia) non cognoscitur. Vide Gotti (3).

Pars I constat ex supra dictis (4).

31. Pars II prob. 1.<sup>o</sup> quoad praedicata *extrinsicca*. Eadem Dei entitas est, quae dicitur misericordia et justitia: ergo de una re simplici affirmatur, quod punit et non punit. Deinde, eodem actu simplici, Deus vult creare et intelligit mundum: tamen ideo creat, quia intelligit; non autem ideo intelligit, quia creat, ut loquitur Augustinus (5): «Universas creaturas suas... non quia sunt ideo novit, sed ideo sunt, quia novit... Quia ergo scivit, creavit; non quia creavit, scivit.» Ergo idem est prius et posterius se ipso: ergo in perfectionibus divinis est capacitas ad verificanda praedicata contradictoria *extrinsicca*, seu, est distinctio virtualis.

32. 2.<sup>o</sup> Quoad praedicata *intrinsicca*. Eodem simplici actu Deus

(1) Disq. IV, n. 142.—(2) *De Trinit.* l. 4, c. 4, n. 14.—(3) Trac. II, *De Deo*, q. IV, § VIII.—(4) Disq. IV, n. 142.—(5) *De Trinit.* l. 15, n. 22.